



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio IX. De neceßitate, & efficacita Pœnitentiæ in ordine ad
remiſſionem peccati venialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

quæ causam secundum suam existentiam. Ceterum quicquid sit de mente Aristotelis utriusque posset de re ipsa, nam bona valetudo est causa ambulationis & contra. Respondeo tamen, bonam valetudinem præsentem esse quidem causam ambulationis præsentis, non tamen è contra; quia ambulatio præsens non est causa valetudinis præsentis, sed perseverantis pro tempore sequenti.

DISPUTATIO IX.

De necessitate, & efficacia poenitentiae in ordine ad remissionem peccati venialis.

SECT. I. *Utrum ad remissionem peccati venialis sit necessaria gratia habitualis infusio.*

SECT. II. *Quis actus poenitentiae requiritur ad remissionem peccati venialis.*

SECT. III. *Utrum per sacramenta tollantur peccata venialia ex opere operato.*

SECT. IV. *Quomodo per aquam benedictam, & similia tollantur peccata venialia?*

EX his, quæ de peccato mortali dicta sunt, facile erit de veniali philosophari, de quo similiter supponendum est relinquere aliquam maculam in anima, distinctam à reatu poenæ: potest enim tolli omnino macula remissa peccato veniali quoad culpam, & manere debitum poenæ, vel saltem poenæ partialis, vel etiam totius. Quo supposito, querimus primum. Utrum hæc macula tollatur per infusionem gratiæ habitualis sicut macula peccati mortalis, deinde quæ dispositio requiratur ad remissionem venialis tam in sacramento, quam extra sacramentum, & quid tandem per usum aliquorum sacramentalium?

SECTIO I.

Utrum ad remissionem venialis sit necessaria gratia habitualis infusio?

Utrumque sensum habet hoc dubium. Primus est, an saltem concomitanter infundatur aliquod gratiæ habitualis, quod remittitur veniale? & quidem supposita probabiliori, & communiori sententia quod per omnes actus saltem supernaturales: etiam remissos elicitos ab homine iusto augeatur gratia, ut augmentum statim conferatur; consequens est nunquam remitti peccatum veniale sine infusione vel augmento gratiæ: nam vel remittitur in sacramento, vel extra sacramentum. Si in sacramento, ergo simul cum infusione gratiæ sacramentalis. Si vero extra sacramentum; necesse est, interuenire aliquem actum proprium, saltem per modum dispositionis, qui cum sit elicitus ab homine iusto, erit utique meritorius augmenti gratiæ, & per consequens interueniet aliqua gratiæ infusio: habet ergo necessariam connexionem remissio venialis nunc de facto cum infusione, vel augmento gratiæ habitualis, licet non è contra, nisi fortè quando virtute sacramenti præteritis remittuntur postea fortasse ablata fide quoad venialia, ut dixi *disput. 9. de sacramentis in genere sect. quinta*. ubi dixi id fieri sine noua infusione gratiæ, sed per gratiam prius in sacramento collatam, sed illud non est contra hanc doctrinam quia ad minus interuenit noua gratia ex opere operantis ratione dispositionis, qua aufer-

tur obex. In hoc ergo primo sensu suppositis illis principiis non est difficultas.

Secundus sensus, & difficilior est, an illa gratia infusio non solum se habeat concomitanter ad remissionem venialis, sed quasi in genere causæ formalis debeat culpam venialem, ita ut per ipsam gratiam habitualement, quam infundit, debeat Deus culpam, & maculam relictam ex peccato veniali? de quo partim diximus supra *disput. 7. sect. 3*. loquendo de possibili: nunc dicemus breuiter, an de facto delectur per gratiam habitualement. P. Vasquez *1. 2. disput. 201. cap. 4*. negat, posse peccatum veniale tolli per meram condonationem extrinsecam, & dicit requiri necessario aliquam mutationem intrinsecam ipso homine, quæ vel sit per actum contritionis, per quem tollitur, & expiatur sufficienter illa macula, vel in sacramento per attritionem, & gratiam sacramenti datam à Deo ad hunc finem reconciliandi hominem à peccato, atque ideo illa gratia est; quæ tunc formaliter mundat hominem, & expellit peccatum veniale. Hoc ipsum iterum docet idem Vasquez in *presenti quest. 87. art. 3. dub. 2. & alibi*.

Communior tamen sententia probabilior negat, gratiam habitualement siue in prima infusione, siue in augmento expellere formaliter maculam venialis. Hanc docet 1. Suarez *tom. 3. de gratia. 3. malitiam, 7. cap. 24*. & alij communiter, & in primis quod contritio non sit semper forma expellens peccatum veniale extra sacramentum, videbimus *sect. sequenti*, quod vero in sacramento gratia habitualis non expellat formaliter maculam illam, probatur vnicuique, & efficaci ratione; quia nullus gradus gratiæ habitualis opponitur cum macula veniali; ergo per nullum gradum gratiæ habitualis expellitur formaliter illa macula: consequentia probatur; quia forma non expellit aliam formam nisi per repugnantiam, & impossibilitatem, quam habeat cum illa; ergo si gratia non habet impossibilitatem cum peccato veniali, nec opponitur illi, non magis poterit illud expellere, quam habitus fidei, vel spei. Antecedens vero probatur, quia homo iustus habens gratiam quantumcumque intensam potest peccare venialiter ergo gratia etiam intensa non opponitur cum macula peccati venialis.

Respondet Vasquez, gratiam secundum se non opponit cum peccato veniali, opponi tamè gratiam ut collatam ex intentione Dei in illo sacramento ad effectum reconciliandi hominem ab eo peccato: ut sic enim non potest componi cum macula. Sed contra hoc est, quod eodem modo potuisset dicere de attritione sola, nimirum posse Deum posita attritione remittere culpam venialem etiam sine infusione aliqua gratiæ, quia licet attritio peccati venialis, sed tamen attritio data à Deo ad illum effectum reconciliandi hominem per illam à peccato veniali, non potest componi cum macula: non ergo apparet, quæ consequentia negetur hoc de sola attritione, nisi quia re vera, non ausus est illud secundum negare, ne videretur tolli efficacia sacramenti poenitentiae in ordine ad tollenda venialia: ex hoc tamen probatur clarè possibilitas illius primi; ut probat optime Suarez *dict. capite 24*. ubi omnes euasiones, & discrimina sigillatim impugnat. Vide illum.

Deinde à priori impugnat, quia nulla forma potest eleuari etiam de potentia absoluta ad aliquem effectum formalem causandum in aliquo subiecto, quem in eodem subiecto non causaret sine eleuatione: verbi gratia, albedo, licet possit eleuari,

cleuari, vt producat efficienter nigredinem per potentiam obedientialem; non tamen vt in genere causa formalis faciat nigrum: si ergo gratia, & attritio secundum se non expellerent formaliter maculam peccati venialis; non poterunt illam expellere etiam accedente aliqua voluntate, & intentione Dei. Poterit quidem Deus ad presentiam eorum tollere maculam illam; & non solum ad presentiam, sed etiam intuitu eorum, quod casu possumus dicere, illam esse causam formalem moralem ad expulsionem maculae: non tamen poterunt vnquam expellere illam in genere cause formalis physicae, cum nullam habeant physicam repugnantiam cum illa: dicere autem, quod habent physicam repugnantiam propter substantiam illi decreto Dei infundentis gratiam ad reconciliandum hominem, est dicere, illud decretum repugnare cum macula, non vero repugnare ipsam entitatem gratiae vel attritionis: quo etiam modo posset Deus infundere habitum fidei ad tollendum peccatum veniale, & tunc habitus fidei, prout subest illi decreto Dei, pugnaret cum peccato veniali, hæc tamen non esset repugnantia fidei cum peccato, sed potius repugnantia illius decreti Dei, atque ideo in rigore loquendo, peccatum tolleretur per condonationem extrinsecam Dei.

6. Confirmatur iterum ad hominem contra Patrem Vasquez, quia eodem modo posset admittere, posse Deum etiam non posita attritione infundere gratiam ad effectum reconciliandi hominem à peccato veniali, nam licet gratia secundum se non repugnet cum peccato veniali, sed tamen gratia prout data ex tali intentione pugnat omnino cum peccato veniali; & tamen ipse Vasquez negat, id posse fieri etiam de potentia absoluta, ergo nec poterit tolli per attritionem simul, & gratiam, quia nec vtrique simul secundum se pugnet cum peccato veniali; nisi accedat illa peculiaris voluntas Dei quæ tam potest accedere gratia soli, quam potest accedere vtrique. Neque satis facit, si dicas, sine attritione non tolli auersionem relictam ex peccato veniali, quæ debet tolli per aliquem actum contrarium: hoc, inquam, non satisfacit, quia etiam peccatum mortale relinquit auersionem, & multo maiorem, & tamen de potentia absoluta non est necessaria attritio, vel aliquis actus peccatoris in sententia eiusdem Vasquez ad tollendam omnino maculam peccati mortalis, sed potest per infusionem solius gratiae sufficienter tolli: ergo poterit facilius tolli de potentia absoluta illa macula venialis sine attritione. Imo attritio in eius sententia non est perfecta conuersio, nec sufficit ex se ad tollendam auersionem præteritam, sed sola contritio, aut dilectio Dei super omnia; ergo sicut potest Deus tollere omnino, & perfecte auersionem sine conuersione imperfecta, non enim apparet, vnde repugnet magis hoc secundum ordinem ad potentiam Dei absolutam. Videatur Suarez *ubi supra*, qui omnia hæc bene vgerit.

7. Obiiciunt ex Tridentino *sess. 5. canon. 5.* vbi dicitur, in renatis nihil manere, quod Deus odio habeat, vel quod eos ab ingressu Cæli remoretur, (vbi etiam de venialibus videtur esse sermo) & tamen hoc dicit fieri veterem hominem exuendo & nouum, qui secundum Deum creatus est, induendo, per quod intelligitur sanctitas interna, ergo venialia etiam tolluntur per formam intrinsecam. Respondeo, hoc argumentum in primis nimium probare; nam illa doctrina vera est de illo etiam, qui ante baptismum non doluit de aliqui-

bus venialibus: iste enim homo si statim moriatur nihil habebit quod eum ab ingressu cæli retardet, sicut nec martyrem; pares enim sunt martyr, & baptizatus, & tamen non accipit gratiam impossibilem cum macula venialium illa macula non fuit ablata ante mortem, ergo ex illis verbis non colligitur bene impossibilitas forme intrinsecæ cum macula habituali veniali. Respondeo ergo, ibi solum asserti ad summum, gratiam internam concurrere ad expulsionem venialium: ad hoc tamen non est necesse, quod gratia sola secundum se habeat illam repugnantiam: satis est, si gratia prout data per hoc sacramentum exigit à Deo remissionem, venialium, quorum datur pœnitentia, vel saltem quod remittantur statim post mortem, si homo in gratia moritur: iam enim verum est dicere, infusionem gratiae esse causam cur in hoc homine nihil sit quod remoretur eum ab ingressu cæli, licet id non causet gratia sola, sed gratia prout data in hoc sacramento; neque etiam negamus, gratiam concurrere aliquo modo ad delendum peccatum veniale, imò id concedimus, vt videmus *sess. 3.*

Obiicit Vasquez: si culpa venialis non tollatur per formam intrinsecam, non mundari intrinsecè hominem, sed regi, seu non imputari culpam, vt volunt hæretici; repugnat enim hominē, qui prius erat intrinsecè maculatus, mundari intrinsecè sine aliqua intrinseca mutatione. Respondeo facili, nunquam posse tolli culpam venialem sine mutatione intrinseca saltem morali; nam sicut macula erat aliquid non physicè, sed moraliter intrinsecum in homine; ita ablatio est ablatio alicuius intrinseci, & per consequens debet esse semper ablatio intrinseca moralis, quæ ablatio sufficienter potest fundari in voluntate Dei condonante illam culpam. Hoc autem nihil commune habet cum hæreticis, qui non concedunt tolli culpam, sed radi, vel regi dum imputatur ad penam cum verè maneat in homine; nos autem dicimus non solum regi, sed radicibus tolli, & destrui, & per consequens hominem plenè mundari, non solum imputatiuè, & per absolutionem forensalem, sed verè, & propriè cum omni rigore: differt tamen remissio venialis à remissione mortali, quod remissio peccati mortalis de facto semper fit formaliter, per mutationem physicam, & formam intrinsecam physicam, scilicet: gratiam habitualement quæ secundum suam entitatem habet repugnantiam cum macula culpæ grauis, remissio autem venialis, licet de facto habeat etiam semper adiunctam aliquam infusionem gratiæ habitualis: non tamen talis, quæ formaliter sit repugnans, aut impossibilis cum macula illa veniali, & ita non tam remittitur formaliter loquendo per mutationem physicam intrinsecam, sicut mortale: de quo necesse fuit aliter sentire, eo quod in iustificatione, non quomodo cumque mundetur homo à peccato, sed per inhabitantem spiritum adoptionis, & per participationem naturæ diuinæ, vt suppono ex materia de iustificatione.

Dices adhuc: peccatum veniale, licet non opponatur charitati, opponitur saltem feruori charitatis, vt docent communiter Theologi: ergo debet formaliter expelli per feruorem charitatis, seu per intensionem charitatis, cui opponitur. Respondeo, per charitatis feruorem non intelligi intensionem aliquam in habitu charitatis; cum hæc enim potest esse culpa venialis, vt diximus sed intelligitur feruor actualis dilectionis in operando, qui feruor impeditur per culpam venialem actua-

SECTIO II.

Quis actus pœnitentia requiratur
ad remissionem peccati
venialis?

bet actus charitatis. Item sicut quilibet charitatis actus expellit peccatum mortale habituale non quidem formaliter, sed dispositiue, vt supra vidimus: ita feruor dilectionis feruor actualis expellit culpam habituale veniale, non formaliter, sed dispositiue, in quo sensu dicitur feruor charitatis opponi cum peccato veniali.

10. Posset in hoc loco iterum inculcari difficultas, quam tetigimus supra *disp. 7. sect. 8.* quod scilicet peccatum non solum includit malitiam auersionis, & offensæ respectu Dei, sed etiam auersionis à regula rationis, quæ macula propterea est contra regulam rationis, non videtur posse tolli formaliter per condonationem Dei, Deus enim non potest remittere peccatum, nisi quatenus est contra ipsum; ergo quatenus est contra regulam rationis, debet tolli formaliter per aliquam conuersionem ad rationem, vel habituale ipsius hominis, & per consequens per aliquam mutationem intrinsecam physicam, quæ mundetur, & rectificetur ab illa macula. Hæc tamen difficultas eodem modo solvenda est circa peccatum veniale, sicut eam solvimus ubi circa peccatum mortale, negando scilicet, reliqui transactio actu, maculam aliquam habituale in ordine ad regulam rationis: nam tota illa macula, quæ remanet, non est nisi debitum passivum ad id, quod debetur, quædam non condonatur, denominatur homo odibilis, & maculatus moraliter; remissio autem illo debito tollitur omnino illa macula, vt ibi latè explicatum est: quare nullo modo censetur concedendum, quod aliqui Reciores hac difficultate coacti concedunt, post remissionem à Deo omnino culpam venialem, imò & post remissionem, vel solutam omnino penam, adhuc manere aliquando in homine maculam morale in ordine ad regulam rationis, quæ licet non appellent culpam, sed tamen concedunt, esse maculam morale, & talem quæ debeat tolli, & expiri ante ingressum in beatitudinem, quia deturpat animam, quare videntur hac in parte nimis minuire efficaciam remissionis diuinæ, quæ non potest omnino mundare hominem ab omni macula, sed solum quasi dimidiare, & partialiter.

11. Alia difficultas solet vgeri quæ communis etiam est ad condonationem peccati mortalis, & venialis quomodo, scilicet, sine mutatione physica hominis possit dari actus liber Dei condonantis peccatum. Hæc tamen difficultas pendet ex materia de voluntate Dei, ex quo suppono, non requiri varietatem physicam intrinsecam in homine, vt intelligamus, ab æterno fuisse aliquem actum liberum Dei, quod in presenti disputare longum esset, cum contineat totam questionem de libertate Dei: de quo, si Deus dederit, dicemus suo loco: Alio denique modo cogitari potest repugnantia ex parte ipsius obiecti, quia si homo prius erat obiectum displicentiae, non potest nunc esse obiectum complacentiae, sine mutatione facta in ipso homine; ergo necesse est, ipsum hominem intrinsecè affici diuerso modo. At hoc tamen constat ex dictis; nam sicut prius homo non erat obiectum displicentiae propter aliquid intrinsecum physicum, quod haberet, sed solum propter aliquid morale; ita postea potest incipere non esse obiectum displicentiae propter mutationem non physicam, sed morale, quæ incipit non esse maculatus, ad quam mutationem diximus sufficere condonationem Dei, per quam cessat eo ipso perleuerantia illius maculæ moralis, & per consequens cessat impedimentum ad plenam complacentiam in eo habendam.

Supponimus, posse saltem de potentia absoluta tolli peccatum veniale sine vilo actu pœnitentiae; quod à fortiori constat ex iis, quæ de peccato mortali diximus *disp. 7.* Si enim peccatum mortale tolli potest sine actu pœnitentiae; facilius poterit tolli veniale quod leuius est, & minus auerit à Deo. Difficultas ergo est, an de facto requiratur semper aliquis actus pœnitentiae; & qualis ille sit? Varij sunt Doctores in hoc puncto: P. Vasquez in *presenti quest. 87. art. 1. dub. 1.* & alibi, quem sequitur Lorca *2. tom. in 1. 2. disp. 41.* docet requiri omnino extra Sacramentum actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia: cum Sacramento autem sufficere attritionem. Fundamentum potissimum est, quia si extra Sacramentum remitteretur per solam attritionem sequeretur, nunquam remitti venialia per Sacramentum pœnitentiae; nam vel pœnitens supponitur attritus, vel non. Si primum; ergo iam sunt remissa peccata ante Sacramentum: si secundum; ergo nec per Sacramentum tolluntur; nam per Sacramentum non tolluntur ea peccata, de quibus non dolet homo: dicendum ergo est, attritionem extra Sacramentum non sufficere ad remissionem peccati venialis.

Alij è contra volunt, peccatum veniale remitti per exercitium cuiuslibet boni operis. Hæc tribuitur Gabrieli, Maiori, Abulensi, & Medinae apud Suarez in *presenti disp. 11. sect. 3.* Sed reicitur ab omnibus, quia illa opera sæpe non auerunt vilo modo voluntatem à peccato, neque ei vilo modo opponuntur; non videtur autem congruere, vt remittatur homini offensæ, cui adhuc per voluntatem interpretatim videtur adhærere dum illam nullo modo retractauit. Vnde August. adductus in *cap. neminem 43.* de pœnitentia *dist. 1.* generaliter, dixit neminem posse recedere à peccato, nisi voluntas doleat de peccato ubi de venialibus loqui videtur, adiungit enim, neminem à quocumque, seu magno seu paruo peccato ad correctionem posse sine pœnitentia transire, & idem, (vel quicumque sit auctor) *lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 8. tom. 4.* loquens item de venialibus dicit, baptizatis de maioribus, & minoribus peccatis pœnitendum esse, & paulò inferiùs adiungit rationem his verbis: *Est enim pœnitentia assidue peccantibus assidue necessaria, in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur.* Requiritur ergo ad remissionem venialis aliqua pœnitentia, sed qualis, quantavè futura sit, non facile explicatur.

P. Suarez ubi supra cum alijs docet, etiam extra Sacramentum sufficere attritionem ad remissionem venialis, & addit, actum illum, per quem homo disponitur ad remissionem peccati venialis, licet non sit forma expellens formaliter maculam, concurrere tamen per modum meriti, & satisfactionis condignæ, quia propterea informatur à gratia habituali, potest habere eam efficaciam, & valorem: ita docet *sect. 2. m. 25. & sect. 10. & alibi*: in Sacramentis vero dicit remitti etiam peccata venialia, & quidem si cætera requisita adsint ad valorem Sacramenti, censet sufficere ad hunc effectum, quod non adsit complacentia culpæ venialis, alioquin enim si requireretur attritio, iam supponeretur peccatum

12. Peccati veniale saltem de potentia absoluta tolli potest sine vilo actu pœnitentiae.

Varia hic Deorum sententia.

1. Ad veniale remissionem requiritur.

Contritio, vel dilectio Dei super omnia, vel attritio cum Sacramento.

13.

2. Remittitur per exercitium cuiuslibet boni operis.

14.

3. Etiam per attritionem extra Sacramentum.

peccatum ablatum ante susceptionem Sacramenti, attritio namque (in eius sententia) etiam sine Sacramento tollit peccatum veniale ex opere operantis: ergo si Sacramentum habet efficaciam ad tollenda venialia, sufficit alia minor dispositio cum Sacramento, quæ non videtur esse alia, quam accedere sine complacentia peccati, & cum voluntate recipiendi illud Sacramentum, & effectum illius ita docet *disp. 12. sect. 1. n. 9. & seqq.* Addunt alij communiter, sufficere etiam extra Sacramentum pœnitentiam virtuale, hoc est, talem actum ex vi cuius, si peccatum illud memoriæ occurreret, displiceret. Omitto alias sententias minus probabiles, quæ apud prædictos Auctores videri possunt.

15.
Veniale non
remittitur
nisi simul
remittatur
mortale, si
adsit.

Pro resolutione huius puncti, in quo multa sunt incerta, & quæ non nisi ex probabili coniectura definiti possunt; supponendum est, veniale non remitti de facto in homine existente in peccato mortali, nisi simul remittatur mortale: neque enim congruit, Deum reconciliari pro iniuria leui cum inimico perleuerante inimico. Potest tamen de contra mortale remitti absque eo quod remittantur venialia, imò aliquando remittitur fortasse mortale, quin remittatur ullum veniale ex multis, quæ homo habeat, quia fortasse homo dolet, & conteritur de solis mortalibus propter eorum gravitatem, & per consequens non dolet ullo modo de venialibus, nec disponitur ad eorum remissionem. Quod si S. Thom. *hac q. 87. art. 2. videtur* insinuare oppositum, intelligendus est, quod loquatur de iustificatione hominis propt in plurimum, & regulariter habetur, ut eum explicat Caietanus, P. Suarez, & alij. Denique, licet vnum mortale non possit de facto remitti sine aliis; potest tamen vnum veniale sine aliis venialibus propter eandem rationem, quia potest disponi homo ad remissionem vnius, & non ad remissionem aliorum.

16.

Hoc supposito, in primis certum videtur, contritionem perfectam, quæ se extendit ex parte obiecti ad peccata venialia, esse dispositionem sufficientem ad eorum remissionem etiam extra Sacramentum: in hoc conveniunt omnes, & ratio est clara; quia si contritio de mortalibus est sufficiens dispositio ad eorum remissionem, à fortiori dicendum idem est de venialibus, quorum remissio faciliior est, sicut offensæ est leuior. Cæterum non credo, contritionem tollere de condigno maculam illam: in quo non videtur satis consequenter procedere P. Suarez, dum ex vna parte ponit, contritionem esse satisfactionem, & meritum condignum & ex alia petit condonationem Dei, ut remittatur peccatum: nam si per contritionem satisfaciit homo condignè, & æqualiter pro offensæ; ergo eo ipso tollitur offensæ sine alia condonatione; offensæ enim in tantum durat, in quantum offendens non satisfaciit sufficienter, vel offensus non remittitur; ergo eo ipso, quod offensor satisfaciit sufficiens, repugnat, quod intelligatur manere offensæ in ratione offensæ.

Contritio non
tollit de con-
digno macu-
lam peccati.

17.

Dices, poterit Deus non acceptare illam satisfactionem etiam si sit condigna, sicut potest non acceptare nostram satisfactionem pro pœna temporalis, etiam si sit condigna, & æqualis. Sed contra, quia licet in debito pœnæ possit non acceptari satisfactio condigna, (de quo dicemus infra *disp. 14. sect. 1.*) Sed tamen in debito culpæ hoc non potest dici: ratio discriminis est clara, quod reus per delictum ita contraxit debitum pœnæ, ut determinatio pœnæ non sit in arbitrio rei, sed Iudicis, qui quantumcumque reus se puniat, potest nolle acceptare illam punitionem pro pœna, quæ debet, sed imponere aliam pœnam lege taxatam: at verò

in culpa res aliter se habet; satisfactio enim non est imponenda ab offensoro, sed offendens debet satisfacere id est, facere in ratione obsequij tantum, quantum arbitrio prudentium satis sit ad placandum offensum: quod si fecerit, licet ille non acceptet, non obstat, quominus offensor dicatur satisfecisse; id est, fecisse, quantum satis erat ex sua parte, atque ideo in æstimatione prudentum eo ipso formaliter tollitur offensæ, hoc est, nõ potest iam offensus rationabiliter retinere indignationem, ut in superioribus explicuimus. Repugnat ergo dicere, contritionem esse satisfactionem condignam pro offensæ; & tamen, quod sit necessaria condonatio Dei consequens ad tollendam maculam.

Quod verò neque in ratione meriti habeat condignitatem ad tollendum veniale, probatur quia totus valor, & dignitas contritionis illius in ratione meriti exhauritur in ordine ad augmentum gratiæ, quam condignè mereretur: nam si haberet adhuc maiorem valorem & condignitatem, meretur plus gratiæ, plus enim refert merenti habere aliquid plus gratiæ, & gloriæ æternæ, quam mereri remissionem venialium, quam eo ipso quod est iustus habebit aliquando saltem in puncto mortis; non ergo potest mereri viterius de condigno remissionem culpæ: alioquin vel dabitur valor condignus ultra condignum, vel non datur augmentum gratiæ secundum totam condignitatem illius actus, sed sit vnum præmium ad æquatum condignum ex augmento gratiæ, & remissione peccati venialis. Nec satisfaciit quod aliqui dicunt, remissionem venialis esse præmium in diverso genere, quare licet actus ille mereatur tantum augmentum gratiæ sicut si nihil aliud mereretur, potest tamen aliunde mereri remissionem culpæ, quia hi duo valores sunt in diverso genere, nec se impediunt ad suos effectus: hoc inquit, non satisfaciit; quod enim præmium sit diversi generis, nõ inuit, ut possit obtineri per eundem actum, qui iam in alio genere est adequatè præmiatus: alioquin dicam ego, actum dilectionis Dei posse simul mereri de condigno cum augmento gratiæ, bona etiam temporalia, diuitias, honores, & alia huiusmodi quæ sunt in diverso genere, & per consequens per omnes actus meritorios acquiritur ius ad hæc omnia bona, quod est omnino falsum: nam cum valor condignus illius actus exhauriatur in augmento gratiæ, solum potest mereri de congruo hæc alia bona. Videatur ipse Suarez *lib. 12. de gratia c. 16. n. 20. & sequentibus*. Qui hoc fecit argumento vitior ad probandum, nullo modo cadere bona temporalia sub meritum condignum hominis iusti, quia licet sint diversi generis, excederent tamen præmium equale illius operis, quod quidem videmus in Principe creato, apud quem si subditus meruit obsequium eximium, aliquando premiatur diuitiis & opibus, aliquando pro præmio impetrat veniam delicti sibi, vel alicui amico, quæ quidem venia computatur illi loco præmij, & minuit valorem operum in ordine ad diuitias, vel alia præmia consequenda. Sic ergo iustus, qui per actum contritionis meretur condignè veniam peccati venialis, deberet habere minus præmij de gratia habituali, quam si eam veniam non meruisset, quod Auctores contrarij non concedunt.

Dicendum ergo est, contritionem solum esse dispositionem de congruo, siue consideretur per modum satisfactionis, siue per modum meriti, atque ideo requiri condonationem Dei etiam postea contritione, ut tollatur macula venialis.

Ratio autem à priori est, quia licet peccatum veniale sit offensæ levis, sed tamen re vera est pec-

catum & cui condigne, & iuste correspondet gratissima purgatorij pena, cui omnes huius vite cruciatus non possunt adaequari, ergo sicut sufficit ad pariendum debitum poenae tantae, & tam acerba quia propter eius foeditatem valde expedit acerbitate poenae homines ab eo detertere; ita etiam expedit in ratione offensae parere difficultatem maximam placandi Deum condignè, & satisfaciendi, ut ipsa etiam difficultate veniae tercantur homines ab eiusmodi offensis admittendis. Paritatem istam probavi latè *disp. 5. de Incarnat. sect. 4. & 7.* tractando de peccato mortali, ubi dixi: Eo modo, quo peccatum mortale licet non habeat malitiam infinitam simpliciter, fundat tamen poenam infinitam, ut tercantur homines sufficienter ab eo patiendo; ita fundare impossibilitatem satisfaciendi propter eandem rationem ne facilitate veniae vilesceret iniuria Dei: hoc ergo modo de peccato veniali dixi, sicut licet propter leuitatē malitiae non pariat poenam infinitam, parit tamen poenam acerbissimam; ita etiam licet non pariat omnimodam impossibilitatem satisfaciendi, parere tamen difficultatem maximam in satisfactione, ne vilesceret offensa facilitate veniae. Ex quo apparet, quomodo de facto peccata venialia non tollantur per satisfactionem nostram condignā, sed per remissionem Dei iuxta communem modum loquendi Patrum, qui de omnibus peccatis in vniuersum dicunt remitti à Deo; ubi autem remissio est, non est satisfactio condigna, ut supra probauimus. Videatur Anselm. lib. 1. *cur Deus homo*, c. 12. ex cuius doctrina à fortiori colligitur haec difficultas satisfaciendi pro culpa veniali: quare miror Patrem Vasquez hac q. 87. art. 1. dub. 2. n. 2. propter quaedam principia particularia sua dixisse, periculosum esse negare, contritionem mereri de condigno remissionem venialium, vel dicere, quod indigeat nouo fauore Dei condonantis peccatum, quia sequeretur maculam illam non tolli, sed solum non imputari, cum tamen perseueret. Verum hoc fundatur in principio falso illius Auctoris, propter quod non debuit ita notare sententiam probabilissimam, quam praeter Petrum de Soto amplectuntur multi Recentiores. Quomodo autem actus contritionis non habeat tantum valorem in genere satisfactionis, quantum in genere meriti, dixi supra *disp. 8. sect. 5.*

Obiciunt aliqui primò quia iustus, per bona opera meretur gloriam, ergo eo ipso meretur quod tollantur impedimenta ad gloriam, sed vnum ex iis est culpa venialis, qua durante, non habebitur gloria; ergo meretur ablationem culpae venialis.

Respondeo facili, hoc non esse aliquid distinctum in ratione praemij à gloria, quam iustus meretur, idem enim est meriti consequutionem gloriae, & meriti, quod tollantur impedimenta, quorum ablatio est omnino necessaria ad gloriam: quare ex ipsa gratia habituali oritur ius, statim post mortem condonetur culpa venialis, si qua sit, alioquin non meruisset gloriam. Aliud verò est de condonatione culpae venialis ante mortem, haec enim non est necessaria ad consequutionem gloriae, atque ideo esse nouum praemium vltra augmentum gratiae, si hoc etiam mereretur de condigno iustus per sua opera.

Obiciunt alij secundo, iustus meretur suis operibus vltra augmentum gratiae remissionem poenae temporalis; & hoc de condigno, ergo poterit etiam vltra augmentum gratiae mereri de condigno remissionem culpae.

Respondeo negando antecedens, iustus enim suis operibus, licet satisfaciatur de condigno pro de-

bito poenae, non tamen meretur de condigno remissionem poenae, nec extinguit debitum per modum meriti, sed per modum satisfactionis, qui est modus valde diuersus; At verò in praesenti deberet obtineri de condigno remissio culpae per meritum, ut meritum, nam per modum satisfactionis iam vidimus repugnare quod esset condigna satisfactio, & etiam simul adhuc necessaria esset postea remissio, & condonatio Dei.

Dico secundo: non existimo, remitti vnquam peccatum veniale sine aliqua displicentia saltem veniali illius. Haec etiā est communis, & probatur ex Augustino supra adducto, qui de venialibus loquens vniuersaliter dixit nunquam deleri, nisi voluntas ab eis recedat per dolorem, & poenitentiam; indecens enim videtur, Deum alicui reconciliari, qui aliquo modo per peccatum ab ipso voluntariè discessit, nisi ille prius ad Deum voluntariè accedat per aliquem contrarium motum: qualis nullus est, nisi inuoluat aliquam poenitentiam saltem virtutalem. Quicumq; enim alius actus bonus, non videtur dispositio apta ad expellendū peccatū, quia ad hanc expulsionem exigitur aliqua contrarietas, & oppositio cum peccato: hanc autem non habent alia bona opera, nisi includant aliquam poenitentiam: ergo non est credibile, remitti de facto aliquod peccatum sine eiusmodi motu. Vnde à fortiori dicendum videtur, multò minus posse per ea bona opera quae nullam poenitentiam includant satisfieri de condigno pro culpa veniali.

Dixi tamen in conclusione, requiri semper aliquam displicentiam, vel poenitentiam saltem virtutalem; non enim requiritur formalis, & explicita, ut fatentur communiter Theologi: difficile tamen est explicare, qualis debeat esse ista displicentia virtualis? Communiter dicitur, sufficere saltem cum Sacramento hominem ita esse dispositum, ut si tunc occurrerent peccata, displicerent. Sed hoc adhuc videtur difficile. Nam si sermo sit de aliqua displicentia condicionali contingente, haec non sufficit, multi enim sunt, de quibus scit Deus per scientiam mediam, quod si occurrerent eis peccata displicerent, & tamen hic actus futurus solum conditionaliter nihil inuauit eis ad meritum, sicut neque è contra peccata futura conditionaliter, si nihil nunc talis, vel talis occasio occurreret, non nocent nihil ad demeritum. Debemus ergo intelligere illam displicentiam condicionalem, non solum, ut subest scientiae mediae, sed ut habet aliquam necessariam connexionem cum aliquo actu praesenti, quem nunc habet homo, in quo actu implicitè continetur illa displicentia, & ideo certum est, quod displicerent peccata, si nunc venirent in memoriam, quia v.g. nunc tali, vel tanto affectu versatur circa Deum vel res diuinas, aut circa obiectum virtutis, ut cum illo affectu non posset non displicere illi peccatum oppositum, si illis recordaretur, atque ideo dispositio praesens implicitè & virtualiter continet retractionem prioris peccati.

Dices, ergo nihil minus requiritur ad remissionem venialis, quam ad remissionem mortalis, neque enim ad remissionem mortalis requiritur semper poenitentia formalis, sed sufficit aliquando virtualis, & implicita, ut dictum est in superioribus.

Respondeo negando sequelam, nam in primis ad remissionem mortalis, per se loquendo, requiritur dolor formalis, ita ut non nisi per accidens, & ratione inaduertentiae homo excusetur ab eo dolore formali habendo: ad remissionem autem venialis hoc non requiritur, quia sicut homo non tenetur procurare eius remissionem, ita nec tenetur habere dolorem formalem illius. Secundo in ipsa displicentia,

23.
Peccatum
veniale non
remittitur
sine aliqua
illius displicentia, saltem
virtuali.

24.

25.

cœtia, siue formalis, siue virtuali fortasse est aliquod discrimen quia ad remissionem mortalis requiritur propositum efficax, siue explicitum, siue implicitum nunquam peccandi mortaliter. At verò remissionem venialis sufficit propositum explicitum, vel implicitum non committendi iterum illud peccatum, licet non sit propositum vitandi alia diuersa; imò respectu illiusmet peccati potest esse propositum limitatum, scilicet non committendi illud in illis circumstantiis, in quibus nunc illud commisit. Verbi gratia, si mentitus sum sine causa, sed ex prima inclinatione, fortasse non est necessarium propositum non mentendi, sed nō mentendi sine causa: cum enim hoc mendacium propter illam circumstantiā contrahat aliam maiorem malitiā, & ego possum dolere de peccato grauiori quin doleam de leuiori; consequens videtur, quod possum sufficienter dolere de illo mendacio prolato sine causa, proponere circa illud, propter illam maiorem grauitatem, quam habet; quin doleam, vel proponam de aliis mendaciis: quod tamen in peccato mortali non sufficeret. Tertiò ad remissionem mortalem in Sacramento pœnitentiæ, per se loquendo requiritur cogitatio explicita de singulis: ad remissionem verò venialium hoc non requiritur, vt notat S. Thom. *hæc quæst. 87. art. 1.* cum non sit obligatio ea confitendi. Denique ad remissionem mortalem extra Sacramentum semper requiritur contritio perfecta: ad remissionem verò venialis etiam extra Sacramentum sufficit aliquo modo attritio in sensu postea explicando.

26. Sed prius quam ulterius progrediamur obicit aliquis, ex hac nostra secunda conclusione sequi, nec per baptismum tolli venialia sine aliqua pœnitentia formali, vel virtuali; atque ideo non perfectè mundare baptizatum ab omni labe, nec liberari omnino, vt dici solet, à culpa & à pœnā; imò potius posse de ipso prudenter dubitari, & ab eo exigi satisfactionem pro venialibus, quæ adhuc fortasse non sunt dimissa, quod ipsum de martyrio tolerato sine pœnitentia, aut retractatione omnium venialium dicendum erit propter eandem rationem: Ex quo fit, posse nos pro martyrio prudenter o rare, & offerre sacrificia: fortasse enim restat illi luenda pœna pro aliquibus venialibus de quibus non doluit, quæ omnia videntur absurda: ergo fatendum est, per baptismum saltem, & martyrium deleri culpas veniales, etiam si non præcedat displicentia, vel retractatio dum non adit cōplacētia.

27. Respondeo, idem argumētum fieri posse in sententia contraria, posset enim aliquis baptizari, vel martyrium pati, non solum sine dolore, sed etiam cum actuali complacentia in peccato veniali; ergo saltem in eo casu non posset per baptismum, vel martyrium deleri illa culpa, & per consequens tunc videretur sequi eadem inconuenientia adducta. Omnes ergo respondere debemus, martyrium, & baptismum quantum est de se, tollere omnes culpas veniales, nisi adit obex: tollitur autem obex sufficienter per attritionem formalem, vel virtuales: quare in baptismo mundatur perfectè homo ab omni reatu culpæ, & pœnæ eorum peccatorum de quibus est attritus. Si autem de aliquibus non est attritus non tolluntur tunc; tolluntur tamen postea, quando primum attrititur de illis, tunc enim aufertur obex, qui erat in ordine ad illa peccata, & ablato obice, habet suum effectum baptismus præteritus in ordine ad culpam, & ad pœnam: nam si cur post baptismum tollitur etiam posita attritione peccatum mortale, de quo nec ante baptismum, nec in baptismo fuerat attritio, & recedere fictio- ne, habet baptismus suum effectum, quæ habuisset à

pri ncipio, si non fuisset obex: idem dicendum videtur de effectu baptismi in ordine ad peccata venialia: baptismus enim de se est regeneratio perfecta, & integra, quæ omnino ponit hominē in statu puritatis, & innocentie ablato obice: quod si ille homo ante mortem non doleret vnquam de illis peccatis venialibus, adhuc non haberet reatū pœnæ in purgatorio soluendæ pro illis, quia in primo instanti mortis tolleretur obex culpa per retractationem sufficientem, vt postea videbimus de aliis peccatis venialibus, & virtute baptismi tolleretur reatus pœnæ, qui prius propter baptismum fuerat iam radicaliter ablati, quatenus ex baptismo habebat iam ius, vt quodcumque auferretur culpa, cessaret reatus pœnæ. Quod idem de martyrio dicendum est, quod equiparatur baptismi, tollit enim quantum est de se, reatū omnem culpæ, & pœnæ, si tamen inueniat attritionem formalem, vel virtuales: quod si de aliquibus venialibus non sit dolor, eorum tamen pœna remittitur in alia vita virtute martyrij, postquā in primo instanti post mortem ablati sunt obex per retractationem illorum venialium: quare nunquam dabitur casus, quod habet aliquid post mortem soluendum, si in gratia mortuus est. In quo sensu accipiendum est, quod ait Augustinus, *de Baptismo contra Donatistas, cap. 18.* Cyprianū scilicet errasse docendo rebaptizari debere baptizatum ab hæreticis quem errorem non retractauit, vt constat ex eodem Aug. c. 5. sed tamen errorem illum Martyrij falce fuisse purgatum, quia nimirum fuerat solum venialis, & licet in vita non fuisset retractatus, sed tamen post mortem potuit retractari, & virtute Martyrij tolerati debuit tolli reatus totius pœnæ illi peccato debita.

Dico tertiò non ita est necessaria contritio perfecta extra Sacramentū, vt non possit aliter vnquā tolli peccatum veniale, loquimur autem de facto & lege ordinaria. Hæc est communis, & probati potest potissimè ex Tridentin. sess. 14. c. 5. vbi docet, peccata venialia citra culpam taceri in confessione multisque aliis remediis expiari posse: ergo non est vnicum remediū contritio ad ea expianda; quomodo enim multa essent remedia, si vnicum esset, & eiusdem rationis, nempe contritio perfecta: fatendum ergo est, alia esse remedia, quæ cum sola attritione possint de facto tollere culpam venialem, quod ex natura etiā culpæ venialis facillè suadet, quæ cū leuior sit, quàm mortalis, & facilius, ac frequentius cōtrahatur, facilius etiam, & frequentius debet habere remedia, quib. posset facilius expiari.

Dico quattoridicet attritio cum Sacramento baptismi, pœnitentiæ, & extremæ vnctionis sufficiat ad remissionem omnium venialium, de quibus est attritio; sed tamen extra Sacramentū non est necesse, quod posita attritione tollantur semper omnia venialia. Hanc conclusionem probat mihi fundamentum P. Vasquez: nam si posita attritione, statim tollitur culpa venialis, ergo per Sacramentum pœnitentiæ nunquam remittitur culpa venialis: iam enim præsupponeretur remissa per attritionem præcedentem: dicere enim, quod nunquam remittantur in Sacramento pœnitentiæ, nisi quæ coniunguntur cum peccato mortali, videtur contra sensum fidelium, qui ad obtinendam eorū remissionem vtuatur remedio frequentis confessionis, & per consequens concipiunt illud Sacramentum habere aliquam efficaciam in ordine ad expianda ea peccata, esseque medium vtile, & proportionatum ad eum finem, & obtinendum, & ad reconciliationem cum Deo, imò eiusmodi confessiones vulgò *reconciliationes* appellantur, quia nimirum

mirum existimant fideles, valere ad reconciliandū sibi Deum: ergo concipiunt omnes valere ad remittendam offensam: reconciliatio enim est formalissimè remissio offensæ. Differt ergo contritio perfecta ab attritione, quod contritio ita disponit extra Sacramentum ad remissionem venialium, ut eo ipso remittantur omnia, ad quæ contritio se extendit: attritio verò disponit etiam, sed non ita perfecte, atque ideo licet regulariter afferat secum remissionem alicuius, non tamen omnium, ad quæ se extendit, sed cum limitatione, secundum regulam ordinationis diuinæ, quam in hoc nullo modo possumus ceterò definire. Cum prædictis autem Sacramentis, quorū effectus proprius est remissio peccatorū (ut suppono) non debet limitari ea remissio sed extendi ad omnia, de quibus fuerit attritio; nā baptisimus est ablutio integra, & perfecta: absolutio item in Sacramento penitentiae extendit se ad omnia vniuersaliter; in extrema item vitione forma est vniuersalis, illis verbis: *indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c.* ergo habet efficaciam vniuersalem ad omnia, dum non adsit obex, ut dictum est. Quid autem dicendum sit de efficacia aliorum Sacramentorum videbimus *sect. seq.*

33. Solum potest esse difficultas, quomodo fiat diffusio illa peccatorum, ut posita attritione extra Sacramentū aliqua venialia remittantur, & aliqua retineantur. Hoc enim non videtur esse iuxta communem modum, quem Deus obseruat in Sacramento, atque etiam extra Sacramentum in remittendis peccatis: nam sēper posita dispositione sufficienti remittit omnia, ad quæ dispositio se extendit. Quæ difficultas augeri potest ex iis, quæ diximus *diff. præ. ed. sect. 1.* Deū scilicet, de facto non dimidiare veniam peccati venialis quoad culpam extra Sacramentū, ita ut partim remittat ius ad auersionem, & partim retineat, licet id facere potuisset: quod quidem colligimus ex eo, quod intra Sacramentum, vel posita contritione extra Sacramentū id non faciat, licet tunc etiam id facere potuisset: Ex qua doctrina videtur, quod in præsentī debemus consequenter concedere, quod posita attritione, Deus non dimidiet veniā peccatorum venialium extra Sacramentum, aliqua remittendo, & aliqua retinendo, quia in Sacramento, & posita contritione extra Sacramentum, nunquam id de facto facit, licet etiam id facere potuisset.

34. Hæc difficultas proposita iterum est *dicta sect. 1. loco citato*, ubi etiam indicauimus solutionem: nempe eodem modo Deum se habere in remissione venialium extra Sacramentum posita attritione, quo se habet in remissione mortalium, aut venialium intra Sacramentum, vel posita contritione: eodem, inquam modo, non materialiter, sed formaliter loquendo, quia sicut in Sacramento posita dispositione sufficienti, non dimidiat remissionem, sed remittit omnia peccata, ad quæ se extendit illa dispositio: sic extra Sacramentum posita dispositione sufficienti, non dimidiat veniam, sed remittit omnia venialia, ad quorum singulorum remissionem sufficeret illa dispositio. Est tamen differentia non formalis, sed materialis, quia non est eadem dispositio sufficiens pro omnibus peccatis, sed sicut Deus non exigit eandem dispositionem ad remissionem venialium, & ad remissionem mortalium extra Sacramentum; siquidem mortalia non remittit nisi posita contritione perfecta; venialia verò remittit posita attritione: sic non exigit eandem dispositionem pro omnibus venialibus; sed pro grauioribus perfectiorē attritionem, pro leuioribus minū perfectā: posita autē attritione in eo gradu, in quo sufficit ad tale peccatum, remittuntur omnia alia, quæ sunt in eodē gradu, licet non remittantur alia,

P. Ioan. de Lugo, de Penitentia.

quæ propter sui grauitatem exigunt perfectiorem dispositionem: qualis autem, & quanta dispositio exigatur à Deo ad remissionem singulorum venialium, nos scire non possumus, sed conari debemus ad habendam vel contritionem, vel attritionem in Sacramento, vel attritionem feruentem, & intensam extra Sacramentum & adiungere alia pietatis opera: quis enim scit, an pro aliquo venialium genere Deus extra Sacramentum velit simul cum attritione aliqua alia opera, ieiunium, verbi gratia, elemosynam, vel humilem petitionem veniæ à proximis nostris, aut quid simile?

Porro hunc modum opinandi, ne voluntati id dicere videamur, suadent fundamenta sententiarum, quas retulimus. Ex vno enim capite facendum videtur, quod extra Sacramentū penitentiae possit de facto homo iustus obtinere remissionem venialium, non solum per contritionem perfectam, sed per alia remedia, prout indicauit Tridentinum dicens multis aliis remediis posse expiari: quæ verba manifestè indicant non alligari remissionem hanc ad vnicū contritionis remedium. Aliunde verò videtur etiam concedendum, quod non qualibet attritio de facto expiet statim qualibet culpam venialem, quia alioquin nunquam remitterentur in Sacramento penitentiae seorsim à mortalibus. Quæ omnia facillè conciliantur in prædicto modo dicendi cum fateamur, non semper remitti peccata venialia posita quacumque attritione, nisi per feruorem, vel alia pia opera adiungetur. Fateamur etiam, non per solam contritionē expiari peccata venialia extra Sacramentum penitentiae, sed per alia etiam multa remedia piorum operum posita attritione. Cum ergo Deus potuerit ita res ordinare, nihil obstat quominus dicamus, de facto ita ordinasse.

Ex dictis inferitur resolutio illius questionis, quomodo peccatum veniale tollitur in altera vita: Supponimus enim posse aliquem mori in gratia, & cum peccato veniali: de quo nunquā doliuit, imò in cuius actuali complacencia erat tempore quo mortuus est. Supponimus item, illam culpam debere remitti, priusquā ille homo videat Deū, quibus suppositis difficultas est, quomodo illud peccatum remittatur, quoad culpam: nam quoad pœnam non remittitur, sed per condignam satisfactionem punitur.

Aliqui Recentiores volunt, remitti per meram condonationem extrinsecam sine aliqua dispositione, vel dolore ex parte voluntatis, quia cum ille actus post mortem elicitus, quicumque ille sit, non sit meritorius, vel satisfactorius, etiam si ponatur nō condonabitur peccatum intuitu illius; ergo condonabitur per meram condonationem extrinsecam Dei, ergo nullum est fundamentum ad exigendum illum actum retractationis post mortem.

Contraria sententia est communis, quam sequitur etiam Suarez *in præsentī sect. 4.* & est expressa sancti Thomæ *quæst. 7. de malo art. 1. in fine corporis*. Ratio autem desumi potest ex ipsa natura culpæ durare enim culpam habitualement (ut vidimus in superioribus) est durare fundamentum ad rationabilem indignationem Dei ratione offensæ: hæc autem indignatio inter alios fines ordinatur ex se ad resipiscenciam peccatoris, ut qui offendit, ex iusta indignatione offensi aduertat, se malè fecisse: quando ergo homo non habet huiusmodi resipiscenciam, videtur esse positivè indispositus ad veniam; atque ideo ad remissionē videtur prærequiri ex natura rei ista resipiscencia, & retractatio ex parte offendentis, & per consequens etiam post hanc vitam expectat Deus huiusmodi retractationem ad remissionem peccati venialis, quæ quidem retractatio facillimè elicitur ab anima separata in ipso exitu à corpore, cōcurrentibus tot, tantisque moribus

ad detestandam culpam, & cessantibus omnibus, quæ in hac vita retardabant ab ea retractatione perfecte habenda.

36.

Cæterum, licet ea retractatio requiratur; non tamen ut meritoria, vel satisfactoria: quia non est animam iam in statu merendi, vel satisfaciendi, sed solum requiritur tanquam remouens prohibens, quatenus tollit indispositionem positivam, & impedimentum, quod præerat ad veniam, dum homo non resipiscit, nec recognoscit offensam: non ergo datur venia intuitu illius dispositionis tanquam meriti, sed tanquam conditionis ex natura rei necessaria, ut peccatum remittatur omnino gratis. Hic videtur sensus S. Thomæ ubi supra: dum concludit in hæc verba, quibus totam doctrinam complectitur: Ideo oportet dicere, quod venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet, per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis: Quia tamen post hanc vitam non est status merendi; ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ: non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem pænæ sicut in hac vita. Hæc S. Thomas, quæ sunt nostra doctrina & conclusio.

S. Thom.

37.

Adde tamen, licet illa retractatio non sit meritoria remissionis culpæ venialis, posse tamen aliquo sensu dici, illam remissionem dari intuitu meritorum præcedentium; Iustus enim in hac vita per bona opera, sicut meretur gloriam, si moriatur in gratia, ita etiam meretur, ut si moriatur in gratia, detur ei venia suorum venialium, sine qua non potest consequi cum effectu gloriam, quam meretur: habet ergo ius ex meritis præcedentibus huius vitæ, ut post mortem remittantur ei venialia, atque ideo aliquo modo remittuntur ei ex meritis.

38.

Petes, quid, si post ultimum peccatum veniale, nulla habuit bona merita, quibus meruerit illius remissionem post vitam? Respondeo sufficere merita Christi, quæ ei applicata fuerunt, quando data fuit ei gratia habitualis: nam idem est dare gratiam habitalem, & dare illius ad remissionem venialium, si decedat in gratia. Item sufficiunt merita ipsius hominis iusti facta etiam ante ultimum peccatum veniale; nam sicut illa meruerunt augmentum gratiæ, meruerunt etiam ablationem impedimentorum ad consequutionem gloriæ, si moriatur in gratia, inter quæ impedimenta est perseverantia maculæ venialis.

39.

Dices, repugnat habere ius ex meritis præcedentibus ad remissionem venialis, quia ubi est ius, non est remissio, & ubi est remissio, non est debitum ex iure, sed liberalitas. Respondeo, transeat non esse remissionem, quando remissio ipsa debetur ex iustitia, sed tamen in præsentem remissio peccati venialis, non debetur iusto ex iustitia rigorosa (ut suppono ex materia de merito) sed ex fidelitate, & ex connaturalitate, quæ gratiæ finali debetur gloria, & sicut eidem gratiæ habituali quando infunditur, debetur connaturaliter remissio peccati mortalis non ex iustitia, sed ex connaturalitate, quasi effectus formalis secundarius, ita eidem gratiæ perseveranti usque ad terminum viæ debetur debito connaturalitatis remissio venialium. Dixi, transeat, quia nec videtur repugnare, quod ex iustitia deberetur remissio; hæc enim remissio non est remissio in genere debiti ex iustitia, sed in genere placationis: & quidem in eo genere non supponitur Deus sufficienter placatus ante remissionem: ideo dicitur liberalitas, quatenus placatur sine satisfactione sufficienti, sicut è contra, posset aliquis ex voto teneri ad remittendum debitum iustitiæ: ecce tunc fieret remissio liberalis, & tamen ex

debito voti, quia sunt in diverso genere.

Ratio à priori est, quia si homo obligaret se ex iustitia ad remittendam offensam, & postea eam non remitteret: existimaretur quidem infidelis, quia non obsecraret promissum; existimaretur iniustus, quia non ponit, quod ex iustitia debet: non tamen existimaretur durus, aut implacabilis quasi irrationabiliter iram retineat; nam re vera habet adhuc totum fundamentum indignationis, scilicet, offensam absque satisfactione sufficienti offendentis: maneret ergo offensa: donec ab offenso remitteretur, licet ad hanc ipsam remissionem teneretur ex iustitia ab sua promissione.

Dices iterum, si iustus per bona opera meretur condigne remissionem venialium; cur non remittitur ei statim etiam ante mortem? Respondeo, iustum non mereri utcumque remissionem venialium; sed remissionem eorum, quando iam non sit in statu satisfaciendi pro eis, solum enim meretur in genere ablationem impedimentorum ad visionem Dei aliquando habendam; ad hoc autem non impediunt venialia in vita; & aliunde congruit, ut quando homo potest se disponere ad veniam per propriam satisfactionem, non remittantur sine illa. Deinde iustus, licet suis operibus mereatur remissionem venialium, non tamen meretur eam habere, nisi prius doleat de illis, quæ conditio quia aliquando non ponitur ab eo in hac vita, ideo differtur remissio usque ad mortem.

Sed instabis; ergo nec etiam immediate post mortem debent remitti; quia quando pena non est soluta non debetur introitus in celum, & aliunde congruit, ut non condonetur culpa politico primo actu doloris, sed quod multiplicentur actus: sicut supra diximus, neque in hac vita remitti omnia venialia extra Sacramentum posita attritione, sed aliqua: ergo multò magis idem debemus dicere post mortem, quando retractatio non est meritoria, nec satisfactoria. Respondeo, negando sequelam: quia retractatio post mortem non requiritur ut satisfactoria sicut in hac vita, sed ut mera ablatio indispositionis, & obicit ad veniam, quæ indispositio consistit in carentia resipiscentiæ: hæc autem indispositio tollitur omnino per primum dolorem, & retractationem: ideo non est, cur, vel ad quid differtur remissio culpæ, quando iam homo non potest ulterius satisfacere pro culpa. Adde, retractationem illam non esse attritionem, sed perfectissimam contritionem, quæ etiam in hac vita posita tolleretur statim omnem culpam.

SECTIO III.

Vtrum per Sacramenta tollantur peccata venialia ex opere operato?

Non est sermo de Sacramento poenitentiae & de Sacramento baptismi, de his enim certissimum est, posse tollere peccata venialia: item de Sacramento extremæ unctionis videtur certum habere eam virtutem, ut constat ex verbis Iacobi, si in peccatis sit dimittentur ei, &c. & ex forma huius Sacramenti, Indulgeat tibi Deus quidquid peccati, &c. hæc enim verba debent habere aliquam efficaciam ad ponendum id quod significant. Videatur Vasquez in præsentia art. 3. dub. 3. ubi bene probat cum communi sententia, hunc effectum provenire immediate ab hoc Sacramento, & non solum quatenus excitat actum fervoris; vel deuotionis in ægrotis: Concilia enim & Sacra Scriptura, quæ tribuunt huic Sacramento remissionem peccatorum, non aliter videntur eam illi tribuere, quam Sacramento baptismi, & poenitentiae quæ immediate eam causant, neque

neque etiam experitur, illum fenoreem actuali-
tem excitari semper in agroto suscipiente illu dSa-
cramentum: imò cum sape contingat, subiectum
esse incapax actualis deuotionis propter amen-
tiam, vel phrenesim, carebit hoc Sacramentum suo
effectu, quem principaliter eius forma significat.

44 Dicendum ergo omnino est, per illud Sacramen-
tum remitti venialia, si præcesserit detestatio for-
malis, vel virtualis, & quidem omnia; vt verba ipsa
significant, dum dicitur: *Indulgeat tibi Deus quid-
quid peccati*, &c. Iussimus enim Dominus consu-
lens humane infirmitati voluit hoc Sacramentum
institui ad purgandam animam moribundi à pec-
catis omnibus, & reliquis peccatorum: imò licet
alia viutorum Sacramenta non habeant producere
primam gratiam etiam per accidens, vt de Eucha-
ristia diximus disp. 12. de Eucharistia. sect. 1. satis tamē
probabile est extremam vocationem habere eam
vim, vt in homine artico immemore sui peccati
asserat remissionem peccati mortalis: ad hoc enim
asserendum de hoc Sacramento habemus funda-
mentum in forma ipsius Sacramenti quæ de pec-
catis in vniuersum loquitur sine distinctione mor-
talis, & venialis: & in verbis Iacobi eodem modo
de peccatis loquentis, & in Concilio Tridentino
sess. 14. cap. 1. de extrema vñtione docente. hoc Sa-
cramento, delicta, si quæ sint, adhuc expianda, ab-
stergi, per quem modum loquendi conditionalem,
quo etiam vsus est Iacobus; non significatur quod
non sit sermo propiè de peccatis, vt voluit Sotus,
sed ideo fortasse conditionalia expressa fuit, quia
cùm hoc Sacramentum supponit iam Sacramentum
pœnitentiæ; videtur per se loquendo supponere
delicta expiata per pœnitentiam: quia tamen acci-
dere potuit multis de causis, peccata non expiari
per Sacramentum pœnitentiæ, piissimus Dominus
voluit in extremo periculo subuenire fidelibus
hoc alio Sacramento, quo dilecta si quæ supersunt
possint expiari. Quod fundamentum, quia in aliis
Sacramentis viutorum non habemus, non est micum
si in hoc Sacramento admittamus hanc efficaciam
ad primam gratiam, licet eam in aliis tribus Sacra-
mentis negemus.

De Eucharistia item certum est, valere ad remis-
sionem venialium, vt docet Tridentinum sess. 13.
c. 1. distinguens inter venialia, à quibus dicit hoc
Sacramentum liberare, & inter mortalia, à quibus di-
cit præseruare. Probatur hoc aliqui ex c. cum omne cri-
men, de consecrat. disp. 2. vbi dicitur, omne crimen,
atque peccatum sacrificiis oblati deleri. Sed hoc
non est ad rem; non enim agitur ibi de Sacramen-
to hoc vt Sacramento, sed vt sacrificio: quo pacto
est propitiatorum per modum impetrationis, vel per
modum satisfactionis, vt explicauimus in tractatu de
sacrificio. Ratio ergo desumitur ex significatione
huius Sacramenti, quod eam sit per modum con-
iuij, eo ipso asserit condonationem offensarum le-
uissimè: facile enim solent amici in conuiuiis offensas
condonare: cùm item sit cibus animæ, eo ipso debet
reparare quæ per continuâ fomitis & contrariorum
pugnam deperdimus, sicut cibus naturalis restau-
rat, quæ per naturalem calorem deperduntur.

Dubium est, an hæc remissio proueniat immedia-
tè ab Eucharistia, an verò mediata, quatenus exci-
tat in nobis affectu deuotionis & doloris, ad quem
consequitur remissio venialium, quem secundum
modum videtur indicare S. Thom. supra. q. 79. art. 4.
Sed cõmuniõ sententia docet, prouenire etiã im-
mediatè, licet enim possit secundo modo conducere
Eucharistia, potest tamē etiam primo modo, sine
eo quod mediet alius actus, dum tamen præcedat
aliqua saltem virtualis displicentia, & retractatio

P. Ionn. de Lugo de Pœnitentia.

venialium: quod etiam videtur docuisse S. Thomas
in præsent. quest. 87. art. 3. de omnibus Sacramentis,
quam sententiam sequuntur Suarez in præsent. disp.
12. sect. 1. & tom. 3. disp. 63. sect. 10. Valquez in præ-
sent. dub. 2. & alij communiter. Nec S. Thomas vi-
detur oppositum docuisse illo art. 4. solum enim
indicanit vtrumque modum tollendi peccata veni-
alia per Eucharistiam, non tamen ita vt vterque
esset simul necessarius, vt explicat bene Suarez
ibi in expositione articuli. Quare probabilior vi-
detur hæc sententia; nam in sententia contraria non
videtur satis explicari, quomodo liberatio à veni-
alibus sit effectus Eucharistia: sepe enim contin-
get, effectum illum poni, vel quia homo non at-
tendit ad memoriam peccatorum, vel quia caret iu-
dicio, vel propter alia impedimenta, quo casu ci-
bus non repararet, quod per calorem concupiscen-
tiæ deperditum fuerat.

Nec obstat, quod huic Sacramento tribuatur
etiam effectus præseruandi à mortalibus, quem ef-
fectum causat conferendo auxilia, & cogitationes
bonas, quibus homo roboretur contra tentatio-
nes, atque ideo pariter posset dici liberare à venia-
libus, quamuis hoc non præstet nisi excitando
deuotionem, & compunctionem, qua ea peccata
dimittatur. Hoc inquam, non obstat, quia cibus
diuerso modo reputat, quod deperditum est per ca-
lorem naturalem, & diuerso modo inuat ad operandu
postea: hoc enim posterius non facit immediatè,
sed mediata; dando scilicet, vires ad operandum,
quibus viribus possit homo vti, & operari, & nõ vti,
& non operari, illud verò prius præstat immediatè
sanando debilitatem naturæ, reparando quod per-
ditum est independenter ab alia operatione: ita
etiã hoc Sacramentum in ordine ad futurum inuat
dando vires, hoc est, auxilia, & cogitationes bonas,
quibus tamen homo possit postea vti, & nõ vti, sed
abuti, at verò in ordine ad sanandas debilitates
præteritas, & reparandum quod deperditum est,
concurrit immediatè, sicut ad nutritionem spiri-
tualem, dum tamen præcedat dispositio sufficiens
in subiecto. An verò Eucharistia tollat omnia pec-
cata venialia de quibus præcedit attritio, an solum
partem eorum; nihil potest certo affirmari, nam
rationes adductæ non conuincunt illam vniuer-
salem indulgentiam, & remissionem omnium cul-
parum, neque ex significatione Sacramenti id suf-
ficienter deducitur.

De aliis tribus Sacramentis, Confirmatione, Or-
dine & Matrimonio est maior difficultas, quia non
apparet, quomodo ex eorum institutione & signifi-
catione colligatur iste effectus tollendi venialia.
S. Thomas in præsent. d. art. 4. generaliter docet om-
nibus Sacramentis inesse hanc vim, quæ sententiam
amplectuntur ferè communiter alij Theologi.

Ratio S. Thomæ est, quia in omnibus Sacramen-
tis infunditur gratia, per infusionem autem gratiæ
tolluntur venialia. Hæc tamen ratio videtur diffi-
cilis, nam gratia de se non habet oppositionem cum
culpa veniali, car ergo ex eius infusione sequitur
ablatio culpæ venialis? Alioquin per omnia opera
bona hominis iusti remitterentur etiam, cùm in sin-
gulis operibus augeatur gratia, vt suppono.

P. Suarez disp. 12. sect. 1. adducit multas congru-
entias. Primò, quia nõ repugnat Sacramenta habuisse
ex institutione Christi hanc vim, & aliunde con-
gruit, cùm omnia fuerunt instituta ad curationem
& sanctificationem animarum, præsertim ad sanctifi-
candū hominē in ordine ad aliquod munus sanctè
exercendum secundum diuersos fines singulorum
Sacramentorum, ad quod aliqua peccata venialia
specialia magis impedire poterant. Denique.

N 2 quia

47

48.
De Confir-
matione Or-
dine & Ma-
trimonio.

quia iis omnibus conceditur ius tollendi aliquando peccatum mortale; ergo multo magis habebunt vim tollendi veniale.

50. Hæc omnia parum vrgent; nam vt ab hoc vltimo incipiamus, negatur in primis antecedens, scilicet, ea Sacramenta habere vim dandi primam gratiã etiam per accidens; de quo dixi satis in materia de Eucharistia, & quidquid sit de hoc, potest negari consequentia, si enim aliquando tollunt per accidens peccatum mortale; Ideo est, quia ex se habent producere gratiam, quæ ex natura sua est expulsiua peccati mortalis, quare aliquando illud expellant per accidens, quia non inueniunt illud expulsum per aliam gratiam: at verò expulsiua peccati venialis nullam videtur habere necessariam connexionem cum effectu, quem causant illa Sacramenta. Quod verò dicitur Sacramenta omnia instituta esse ad sanctificationem hominum, non arguit tollere peccata venialia, quia etiam per omnia bona opera hominis iusti additur nouus gradus gratiæ sanctificantis, quæ non solum ex institutione, sed ex natura sua ordinatur ad sanctificandum hominem: & tamen non expellit peccata venialia, quia potest homo sanctificari sine hac expulsioue. Denique potuisse Christum ita velle non sufficit, vt dicamus, ita factu esse, nisi ex ipsa institutione, vel significatione aliquo modo colligatur; porrit enim Christus etiã dare Sacramentis omnibus efficaciam ad tollendum reatum peccatorum temporalis, & tamen aliqua sunt Sacramenta, quæ nullo id modo habent.

P. Vasquez in *presenti dub.* 3. n. 11. concedit per omnia, & singula Sacramenta tolli omnia venialia, quorū datur attritio, concedit inquam coactus omnino propter consequentiam ad sua principia, cum enim ipse velit, maculam venialem non posse tolli nisi per aliquam mutationem intrinsecam incompossibilem cū peccato veniali, qualem existimat esse contritionem: in baptismo autem, & in pœnitentia, vbi non datur contritio, sed attritio, dixit, ipsam infusionem gratiæ sacramentalis cum respectu ad attritionem esse incompossibilem cum peccato veniali, vt supra vidimus, ideo nunc cogitur idem concedere de omnibus Sacramentis præcedente attritione, quia in singulis datur etiā infusio gratiæ cū respectu ad attritionem, quæ est mutatio incōpossibilis cum venialibus. Ex quo fit cōsequenter, nec de potentia absoluta posse aliter fieri, vt detur gratia ex opere operato intuitu illius attritionis quin eo ipso tollantur omnia venialia.

52.
Hæc doctrina procedit ex falso illo principio, imò difficultas consequens offendit satis difficultatem antecedentis, ex quo necessarî sequitur. Quis enim credat, non potuisse Deum dare gratiâ aliquam propter attritionem, tanquam propter meritum de congruo, quin eo ipso condonaret omnia peccata venialia, de quibus homo atteritur? Certe si gratia ex se non repugnat cum veniali, necesse attritio repugnat; non apparet, cur complexû ex utraq; repugnet essentialiter cum illo. Potest nunc Deus dare istam gratiam ex opere operato cum respectu ad attritionem tanquam ad dispositionem, & adhuc manet reatus pœnæ soluendæ; cur similiter non possit dare eandem gratiam cum respectu ad attritionem, & quod adhuc maneret reatus culpæ venialis; sanè nulla est alia ratio id negandi, nisi quia aliter non videbat P. Vafquez; quomodo non tolleret culpam per condonationem extrinsecam; quod ipse reputat maximum absurdum; quare coactus, ut ipse faceret, amplectitur hæc doctrinam, quia non inuenit, quomodo possit res difficilis aliter conciliari

53. Mihí magis placet ratio S. Thomæ, qua ytitur

in presenti, quia scilicet in omnibus sacramentis infunditur gratia, & per gratiam infusionem tolluntur venialia. Hanc rationem Sancti Thomae P. Suarez dicit esse difficilem, & obscuram, quia si intelligatur, ut sonat, probat remitti venialia, quod augetur gratia, quod falsum est. Sed re vera confecto, illud consequens esse maxime de mente Sancti Thomae, quod, scilicet, quod infunditur gratia, si prima, siue augmentum illius remittatur aliquod venialia, si praecedat eorum displicentia, & retractatio saltem virtualis: haec enim semper debet intervenire: hoc autem posito licet ex natura rei non sit necesse, quod collatio gratiae afferat remissionem venialium; est tamen valde consentaneum legibus amicitiae; ut quorundam aliquis admittitur ad nouum complexum, & artius amicitiae vinculum, condonatur offensae leues, vel omnes, vel ex parte: cum ergo qualibet collatio gratiae, vel augmentum illius sit nouum amicitiae vinculum, condonatur offensae leues, vel omnes, vel ex parte: cum ergo qualibet collatio gratiae, vel augmentum illius sit nouum amicitiae vinculum, quod Deus artius fecit cum homine coniungi, & nouus amplectum spiritualis, & quasi pacis osculum impressum, congruum sane est, ut afferat secum condonationem aliquam si non integrā, saltem partialem offensarū lenium, quarū est iam posita retractatio. Idem enim verum est, quod dicitur in Tridentino ubi supra, peccata venialia multis aliis remediis expiari extra confessionem; quia scilicet, si adit attritio, expiari etiam possunt per omnia sacramenta, quibus augetur gratia, in quod quorundam ex opere operantis augetur etiam gratia per bona opera hominis iusti, videtur idem dicendum iuxta mentem Sancti Thomae & propter eandem rationem: In quo non conuenimus cum sententia eorum, qui absolute doceant per omnia opera, bona tolli peccata venialia. Nos enim non dicimus sufficere bonum opus etiam in gratia factum, nisi praecedat detestatio formalis, vel virtualis illius peccati: deinde non dicimus, per ea opera tolli peccata de cōdigno, siue in genere meriti siue in genere satisfactionis; hoc enim supra impugnauimus, sed per illud opus dari de cōdigno augmentum gratiae, quod posito, est congruum, quod remittatur offensae leuis, quam homo retractauit; quia illud augmentum gratiae est quoddam amicitiae redintegratio, & confirmatio, per nouum amplectum, qui congruenter affert secum aliquam reconciliationem. Denique non affirmamus, per singula bona opera remitti semper, vel omnia venialia, etiam ea, de quibus est retractatio, sed aliqua, & aliquando pro maiori, vel minori augmento gratiae quod infunditur, & iuxta alias circumstantias in quo nullum apparet inconueniens.

Ex dictis inferitur, in sacramento poenitentiae dupliciter remitti peccata venialia. Primo per se, & directe, quatenus ea peccata sunt materia illius sacramenti, & subiiciuntur clausibus per eorum confessionem; & hoc modo remittuntur omnia, quae debito modo confitemur cum dolore, & proposito requisito. Secundo vero remittuntur etiam alia, quae non confitemur, non quidem formaliter per sacramentum poenitentiae, vt tale est, sed materialiter per augmentum gratiae, quod ex opere operato conferitur per illud sacramentum, sicut per alia sacramenta, & hoc secundo modo non est necesse, quod remittantur omnia venialia, etiam de illis praecessit dolor, sed sufficit quod remittantur aliqua, sicut supra diximus, de aliis sacramentis, & de attritione extra sacramentum, & licet P. Suarez in praesenti existimet, non remitti illo modo per sacramentum poenitentiae ea venialia, quae aliquis sciens, & prudens non vult confiteri; ergo tamen non video, cur ea peccata saltem ex parte non possint per illud sacramentum materialiter remitti.

tolli, sicut, aliaut sicut possent per alia, sacramenta nolle enim confiteri ea, cum nulla sit obligatio, non est obex ad ea remittenda; si aliunde habet doctorem de illis.

Dices; si ea peccata venialia, quæ aliquis non confitetur, possunt tolli per sacramentum penitentiar, sequitur non solum tolli aliqua sed omnia, quia mortalia, quæ aliquis ex obliuione, vel alia iusta causa non confitetur, omnia tolluntur indirectè per sacramentum pœni et ita; ergo venialia etiam, quæ aliquis inculpabiliter non confitetur, tollentur omnia indirectè per sacramentum penitentiar, si præcedat dolor de illis. Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, discrimen esse inter mortalia, & venialia quod mo. t. l. a sunt inseparabilia in ordine ad remissionem: neque enim potest tolli vnũ de facto, quin tollantur omnia, cū quodlibet tollatur per infusionem gratiæ, cum qua nullum potest manere: ideo necesse est, reliqua indirectè tolli, hoc est, non vt materiam directam illius sacramenti, sed vt aliquid, quod non potest manere cum effectu directo sacramenti: at verò venialia non habent hanc connexionem, potest enim vnũ remitti, & non aliud; ideo non datur hic modus remittendi venialia indirectè per sacramentum penitentiar, sed directè remittuntur ea, quæ confitemur; materialiter verò remittuntur aliqua alia, siue ex siue obliuione ex non obliuione propter congruitatem supradictam.

Dices, ergo necesse erit in confessione etiam de venialibus explicare numerum; alioquin si aliquis solum se accusat de mandatis in communi, non videtur subicere clauibus satis explicite mœdacia omnia & per consequens non remittuntur directè omnia, sed neque indirectè, cum non admittamus hunc modum absolutionis indirectæ respectu venialium. Respondeo regulariter remittuntur omnia: aut ferè omnia quia ex circumstantiis temporis & conditione personæ percipit Confessorius, plus minusve multitudinem quam ipse etiam penitens concipit. Si autè Confessorius eam non perciperet, non videtur remitti ex vi formali sacramenti, nisi quatenus ea multitudo explicatur à penitente, & percipitur à Confessario: de reliquis autem si quæ remittuntur, non tam erit indirectè quam materialiter; sicut alia peccata venialia, vt dictum est.

Obicies vltimò, Sacramenta, causant suum effectum, si non sit obex, ergo si omnia sacramenta habent aliquam efficaciam contra venialia ex opere operato; Consequens est vt si non sit obex, eam exerceant, per attritionem autem tollitur obex ad omnia venialia, ergo omnia sacramenta tollent omnia venialia posita attritione, & non solum partem eorum. Respondeo effectum sacramenti fieri vtique, sed tamen hunc effectum non esse fortasse tollere omnia venialia, sed tollere tantam, vel tantam partem eorum, & talia peccata cum tanta dispositione, & alia non nisi cum dispositione meliori: hanc autem partem si non sit obex semper infallibiliter tollunt sacramenta.

SECTIO IV.

Quomodo per aquam benedictam, & similia tollantur peccata venialia?

DE hac quaestione, optimè Suarez in present. disput. 12. sect. 2. cum quo breuiter supponedū est sex actiones solere numerari, quæ valeant ad tollenda venialia: scilicet, orationem dominicam; asperersionem a quæ benedictæ; comestionem panis

P. Ioan. de Lugo de Penitentia.

benedicti: confessionem generalem: eleemosynam, & benedictionem Episcopi vel Abbatis consecrati: Alij addunt tria, scilicet,unctionem pectoris, orationem in Ecclesia consecrata, & sacram. unctionem, non illam, quæ est sacramentum, sed alias quæ fiunt per baptismum, & alibi, quæ sunt solum ceremoniales. Hæc autem omnia valere ad tollenda venialia constare videtur ex fidelium mœre, & auctoritate sanctorum Patrum. Dubium est quomodo conducant?

Prima sententia docet, conducere immediate, præcedente enim attritione imperfecta, vel (vt alij volunt) posita non complacentia in peccato, eo ipso per pium vsum harum rerũ tollitur reatus culpæ. Auctores huius sententiæ vide apud Suarez vbi supra. Fundamentum præcipuum est, quia si hoc modo non conducunt, non videntur habere aliquam vim ex opere operato: si enim dicas conducere mediatè excitando aliquem bonum morum attritionis formalis, vel virtualis, per quem immediate tollatur culpa; contra hoc est experientia, quæ docet, non semper excitari in nobis talem motum, quoties iis rebus vtimur; ergo vel non semper habent suum effectum, vel debent illud immediate habere.

Secunda sententia cõmunis, & verior negat habere eum effectum immediate, sed ad summum excitando aliquem motum, quem tamen semper non excitant; quia nec ad hoc habent virtutem infallibilem. Hæc est sancti Thomæ in present. art. 3. & aliorum antiquorum quos referunt, & sequuntur Suarez, & Vasquez in present. Duplex est argumentum huius sententiæ. Primum quia nullum est firmum fundamentum, vt dicamus hæc instituta esse ad tollendas culpas veniales ex opere operato: secundũ, quia nec videtur potuisse ab Ecclesia ad hunc finem institui. Primum probatur, discutendo per singula. Nam in primis de oratione dominica, unctione pectoris, & de eleemosyna nunquam apparet talis institutio: quod si aliquando iis tribuitur vis tollendi venialia; hoc non est ex peculiari Ecclesiæ institutione, sed ex opere operantis, propter vim, quam ipsamet opera habent mouendi Deum ad veniam peccatorum quod etiam sensu ab eisdem dicuntur conducere ab veniam mortaliũ, & suo modo conducunt alia bona opera. De confessione item generali sine vllò fundamento id asseritur.

Benedictio vero Episcopalis, & Oratio in Ecclesia consecrata, licet per modum impetrationis multũ iuuent ad omnes effectus; sed tamen quod specialiter ex opere operato tollant culpas, nunquam habetur: sicut nec vñctio ceremonialis, vel panis benedictus; imò iste (vt notat Suarez) fuit introductus pro catechumenis, qui non communicabant, & certè Ecclesia non poterat instituire, remedium efficax pro culpis eorum, qui nondum erant membra Ecclesiæ & regulariter nondum erant in gratia, cū non essent baptizati. Restat solum aqua benedicta, de qua id volunt probare ex c. Aquam de consecrat. dist. 1. vbi Alexander Papa dicit, aqua benedicti, ad sanctificandos eos qui asperguntur. Hoc tamen non probat, habere eiusmodi virtutem ex opere operato immediate, & infallibiliter; solum enim habet illam in quantum ab Ecclesia benedicitur per orationes, quibus petitur à Deo, vt sit salus mentis, & corporis omnibus sumentibus: hoc autem ipso satis apparet effectum illum non esse infallibilem, sicut nec alij effectus qui ab Ecclesia per orationes postulantur, obtinentur infallibiliter à Deo, non est ergo fundamentum id asserendi de aqua benedicta.

Secundum verò scilicet, neque habere Ecclesi-

N 3

Ecclesia non habet auctoritatem aliquid instituendi ut efficacius tollendas culpas.

siam auctoritatem aliquid instituendi ut efficacius tollendas culpas; probatur ex ipso Ecclesie usu; si enim Ecclesia habuisset potestatem dimittendi peccata extra sacramenta, aliquando eam exercuisset & dimississet etiam siue aqua benedicta, solum per usum suæ potestatis, dicendo, Ego tibi dimitto tua peccata; sicut dimittit plerumque pœnas peccatorum immediate per indulgentias, nullum opus piû exigendo, sed aliis de causis: nunquã autem Ecclesia hoc fecit circa culpas: ergo ideo quia nõ agnouit, datam sibi eam potestatem circa culpas extra sacramentum. Potuit utique Christus eam potestatem Ecclesie relinquere, si vellet; sed tamen de facto non dedit ei potestatem circa culpam vllam mortalem, vel venialem, nisi mediantibus sacramentis. Dedit quidem communicationem thesauri suorum meritorum, ex quo posset applicare per indulgentias pro debito pœnæ, non tamen dedit potestatem tollendi culpas extra sacramentum. Ratio autem 62. reatus pœnæ potest tolli sine infusione gratiæ, ideo nõ est inconueniens, quod tollatur ab Ecclesia extra sacramenta: at verò nullus culpæ reatus tollitur sine infusione gratiæ habitualis: omnis enim remissio culpæ ordinatur ad sanctificandam, & mundandam animam: Voluit autem Deus, nunquam sanctificari, aut mundari animam de facto, siue à labe graui, siue à leui, nisi per sanctitatem & munditiam positiuam internam: ideo nunquam voluit tolli peccatum, nisi per infusionem nouæ sanctitatis, & gratiæ; nam licet peccatum mortale & veniale posset de potentia absoluta tolli per mercedem condonationis extrinsecam, ut supra diximus, sed tamen de facto neutrum voluit Deus ita tolli, & sicut noluit, mundari hominem à mortali sine sanctitate infusa interna, ita neque à veniali: utraque enim reconciliatio fit perfectius per osculum, & amplexum nouum, qualis intrinsecus in infusione nouæ gratiæ, qua Deus de nouo assumit hominem ad amicitiam, vel ad archiorem amicitiam, quam antea; cum ergo Deus noluerit communicare Ecclesie potestatem dandi gratiam extra sacramenta; noluit etiam, quod posset tollere culpam aliquam, vel grauem, vel leuem extra sacramenta, nulla enim tollitur sine infusione gratiæ; neque Ecclesia vquam agnouit in se talem potestatem.

63. *Quomodo sacramentalia ex Ecclesia institutione, plusquam alia quæ non habent eam institutionem: profunt enim quatenus ex impetratione Ecclesie Deus dat sepe vrentibus aqua benedicta, vel aliis eiusmodi, aliquem piæ morum contra venialia quem alias fortasse nõ daret, etiam si aliquis sumeret aquam aliã putans esse benedictam, quo etiam modo potest conducere panis benedictus, oratio in Ecclesia consecrata, vestes etiam sacræ, & alia eiusmodi; non tamen immediate, neque infallibiliter: aliquando enim iustis de causis Deus non concedit vniuersaliter ea, quæ ab Ecclesia petuntur.*

Hinc inferitur, quomodo profunt hæc sacramentalia ex Ecclesie institutione, plusquam alia quæ non habent eam institutionem: profunt enim quatenus ex impetratione Ecclesie Deus dat sepe vrentibus aqua benedicta, vel aliis eiusmodi, aliquem piæ morum contra venialia quem alias fortasse nõ daret, etiam si aliquis sumeret aquam aliã putans esse benedictam, quo etiam modo potest conducere panis benedictus, oratio in Ecclesia consecrata, vestes etiam sacræ, & alia eiusmodi; non tamen immediate, neque infallibiliter: aliquando enim iustis de causis Deus non concedit vniuersaliter ea, quæ ab Ecclesia petuntur.

Dices, hoc etiam modo potest conducere aqua benedicta ad tollenda mortalia sicut ad venialia. Respondeo, posse conducere aliquo modo, non tamen ita frequenter sicut ad venialia. Primum ex parte Dei, qui non ita facillè placatur in vno casu ac in alio. Secundò ex parte hominis, qui non ita facillè concepit morum sufficientem contra mortalia Tertio denique ex parte Ecclesie, quæ fortasse non ita applicat ex primaria intentione hæc remedia contra mortalia, sicut contra culpas leniores; habet enim contra mortalia efficaciora alia remedia grauioribus morbis applicanda.

Difficilia sunt verba vnius Augustini in Enchi-

ridio c. 71. relata in c. De quotidianis, de pœnitentia disp. 3. vbi postquam dixit orationem Dominicam satisfacere pro peccatis leuioribus, postea adiungit, *delet omnino hac oratio minima, & quotidiana peccata; delet & illa, à quibus vicia fidelium seclerata etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit.* vbi videtur Augustinus ita distinguere inter mortalia, & venialia, ut velit venialia tolli per orationem Dominicam etiam sine pœnitentia aut retractatione, non verò mortalia. Respondeo, Augustinum non negare requiri retractationem aliquam ad remissionem venialiam, sed solum assignare discrimen, quod ex quotidiano lapsu in venialia non arguitur defectus dispositionis requisitæ ad eorum veniam, qui cum possibile sit sine illis vitam transigere; stat bene hominem dolere de illis, & eam sepe relabii: non sic in mortalibus, quæ cum possint facillè euitari, argumentum est non leue in sufficientis pœnitentia, si nunquam vitæ, & morum emendatio appareat. Videatur Vasquez in præfati num. 29.

DISPUTATIO X.

De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum.

SECT. I. *Virum peccata dimissa redeant, vel possint redire quoad culpam.*

SECT. II. *Virum peccata redeant, vel possint redire quoad debitum pœnæ; vbi: an peccata venialia correspondeant pœna æterna in Inferno.*

Vidimus per pœnitentiam peccata tolli, tam grauiam, quam leuiam: nunc antequam ad alios pœnitentiæ effectus veniamus, oportebit pro complemento huius effectus inquirere, an ita radicitus per pœnitentiam peccata tollantur, ut nunquam per subsequens peccatum redeant; an verò possint postea reuiuiscere vel quoad culpam, vel saltem quoad pœnam.

SECTIO I.

Virum peccata dimissa redeant, vel possint redire quoad culpam.

Non est sermo de peccato quoad culpam actuale eandem numero, an possit redire: hoc enim ferè peditur principiis physicis, an idem ex accidens numero, quod perit, possit naturaliter reproduci, vel saltem de potentia absoluta: consequenter enim de actu peccaminoso videtur, quod dici posset, postquam transactus est, posse iterum Deum dare concursus voluntati create ad eundem actum eliciendum; qui concursus quoad modum esset ratioculosus: Et quamvis Suarez, in præfati disp. 13. sect. 1. n. 11. dicat illud miraculum non decere diuinam bonitatem: ceterum in ordine ad potentiam absolutam non videtur repugnare: neque ideo Deus diceretur auctor illius peccati, cum solum daret in actu primo concursus indifferente ad illum actum & ad actum bonum oppositum, nullo modo determinans, aut suadens imò potius dissuadens fieri eum actum malum. Aliunde tamen iuxta alia principia philosophica quæ mihi sunt probabilia, quod scilicet actus voluntatis duret per suammet entitatem, & per consequens sit affixus huic spatio imaginario successiuo; fatendum est, non posse eundem actum reproduci in alia duratione, quia duratio hodierna non potest cras reproduci.

Diffi